DE

FRAGMENTIS AMPHITRVONIS

PLAVTINAE

(PARTICVLA PRIOR)

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOHANNES SCHROEDER

SILESIVS

ARGENTORATI

MDCCCLXXIX.

33

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41552714_0173

§ 1.

Amphitruonis Plautinae nomine insignes uersus complures apud grammaticos ueteres extare constat, qui in ipsa fabula, qualis quidem nobis tradita est, non legantur. Qui cum plerique ne similitudinem quidem ullam cum ullo eius loco praebeant neque ad alteram aliquam comoediae recensionem referri posse uideantur, ii, qui nuper hanc quaestionem accuratius tractauerunt [1], illos omnes ad eam partem pertinere iudicauerunt, quae inter uu. 1034 et 1035 (editionis Fleckeisenianae) intercidit. Nam hoc loco quamquam lacuna fere nullo [2] signo in codicibus Palatinis indicatur, tamen non mediocre damnum esse factum tam perspicuum est, ut iam diu sit intellectum.

Quod damnum ut sarciretur, ab homine aliquo poetastro quinti decimi fortasse saeculi [3] supposita illa ficta sunt, quae in priorum saeculorum editionibus ferebantur et, quamuis inepta sint et numeris careant, tamen per longissimum tempus Plautina esse uisa sunt. Quae qui attente perlegerit, statim cognoscet, quibus rebus nisus quibusque auxiliis munitus auctor ad lacunam replendam accesserit. Nam primum quidem sollerter ex iis, quae praecesserunt, probabilia de insequentibus coniecit; deinde ad rem uberius tractandam fragmenta compluria

---

1) E. Hoffmann: De Plautinae Amphitruonis exemplari et fragmentis. Vratisl. 1848. I. L. Vssing: T. Maccii Plauti comoediae, recensuit et enarrauit I. L. Vssing. Hauniae 1875.

2) Vnius codicis D librarium in damno illo offendisse eo probatur, quod codicis eius folium 20 auersum a uersu 1017 incipiens in uersum 1034 ita exit, ut reliqua septem uersuum spatia scriptura uacent, pagina autem proxima initium capiat a u. 1035.

3) Cf. Hoffmannum l. l. p. 26 sqq. Ritschel. Opusc. II p. 42 sqq.

ex grammaticis petita adhibuit; docte denique significando res, quae ad fabulas Graecorum uel ad mores Romanorum spectant, speciosa quadam copia atque splendore amplificare atque ornare studuit nudi diuerbii sermonem. Dictio autem ea est, quam quis Ciceronis scriptis diligenter lectis et tractatis didicerit; quod cum ex aliis rebus tum inde intellegitur, quod eodem modo, quo Cicero in enumerandis exemplis ab externis transit ad Romana, in suppositis Amphitryo, postquam fabulam Atticam ad illustrandam suam condicionem narrauit, interiectis uerbis *quid aliena fabulor?* incipit narrare fabulam Thebanorum. Praeterea, ut sermo quam Plautinissimus euaderet, adspersae sunt dictiones quaedam cum in ceteris Plauti comoediis tum in ipsa Amphitruonis fabula frequentissimae.

Ab argumento quidem illis suppositis descripto argumentum, quale ii statuerunt, qui his proximis temporibus in hanc rem inquisiuerunt, eo maxime differt, quod, cum in illis praeter Amphitryonem et Iouem Sosia et Blepharo tantum in scaenam progrediantur, ab Hoffmanno [1]) et Vssingio [2]) his personis Alcmena additur. Atque si quis in eo acquiescet, ut ex rebus in partibus fabulae superstitibus actis solis probabilia de deperdita parte coniciat, ei certe suppositorum auctor propius ad uerum accessisse uidebitur. Sed cum cetera fragmenta grammaticorum beneficio seruata facile illis quattuor personis tribui possint, unum remanet, quod nisi Alcmenae alii nemini addicere possis, nisi demonstraueris uerba aut ualde corrupta esse aut aliquo superstitum partium loco inserenda. Dico hunc locum a Nonio (p. 105) seruatum: *Exiúrauisti té mihi dixe pér iocúm.* Alcmenae enim se aliquid per iocum dixisse iurauit Iuppiter Amphitryonis specie indutus (III, 2); Alcmena igitur sola illa uerba uel Amphitryoni uel eius aemulo, Ioui, dixisse potest. Quae cum ita sint, dubitari uix posse uidetur, quin in iis, quae interciderunt, scaenis una fuerit, qua aut uerus Amphitryo aut Pseudo-Amphitryo cum Alcmena denuo compositus sit. Et quoniam fabula lacuna in

---

1) l. l. p. 68 sqq. 2) l. l. p. 330 sqq.

duas partes dirempta est, in prioris partis exitu personarum condiciones hae sunt:

Iuppiter in Amphitryonis aedibus est sibique 'morigerat' (u. 980) cum

Alcmena.

Sosia Iouis iussu ad portum rediit, unde Blepharonem gubernatorem arcesseret (u. 967. 968),

Mercurius sub specie Sosiae serui in tecto aedium Amphitryonis est (u. 1034) et

Amphitryonem, qui ante fores stat, inde aspellere studet; initio alterius fabulae partis hae:

Iuppiter ante Amphitryonis aedes uersatur (u. 1039),

Alcmena intra aedes est (u. 1039),

Sosia non adest; nam post Iouis et Blepharonis discessum Amphitryo solus in scaena remanet.

Mercurium abesse ex eadem re concludas.

Amphitryo ante aedes est (u. 1037).

In lacuna igitur, i. e. inter uersus 1034 et 1035, certo Mercurius et Amphitryo litigare pergunt. Sosia et Blepharo in scaenam prodeunt. Illum Amphitryo uix conspicit, cum propter eius quam putat[1] impudentiam in eum inuehitur frustraque intercedente Blepharone, quippe qui illum innocentem esse sciat, uerberibus Sosiam de scaena depellit[2]. Deinde Iuppiter superueniens uerum Amphitryonem fraudatoris uel furis loco habet, qui simulata Amphitryonis specie in domum alienam irrepere studuerit. Blepharo cum, uter Amphitryo sit, discernere nequeat, abit haec dicens (u. 1035): *Vós ⟨ista⟩ ínter uós partíte: ego ábeo, míhi negótiúmst* et (u. 1037 sq.): *Valé. Quid opus ést med áduocáto, qui me utrí sim nésció?*[3]

---

1) Cf. u. 1003: *Eum fécisse ílle hodie árguét, quae ego fécero híc: quid íd meá?*

2) Cf. u. 1002, ubi Mercurius haec ait: *Deinde ílli actútum súfferét suus séruos poénas Sósiá.*

3) Verbis uu. 1037. 1038 editis postquam Blepharo nullo temporis

Praeter haec, quae in deperdita comoediae parte descripta fuisse rebus et ante lacunam et post eam actis cogimur putare, Alcmenam denuo in scaenam prodiisse, id quod supra iam intelleximus, uerbis *Exiúrauísti té mihi díxe pér iocúm* a Nonio laudatis probatur, ut res ita fingenda sit: Alcmena ex aedibus egressa cum Amphitryone colloquitur, in quo colloquio sine dubio illa marito, cum per iocum se probri uxorem insimulauisse iurauerit, se disertis uerbis ignouisse contendit, hic id factum esse negat. Quod actum esse potest aut post Mercurii abitum, priusquam Sosia cum Blepharone adueniret, aut Sosia fugato, priusquam Iuppiter prodiret. Illo tempore quam hoc Alcmenam cum coniuge collocutam esse eo facilius tibi persuadebis, quod aliter uix intellegitur, quid per eiusmodi scaenae spatium Blepharo acturus fuerit.

§ 2.

Priusquam singillatim de fragmentis disseram, monendum est ei, qui de fragmentis Amphitruonis Plautinae quaesiturus

---

spatio intermisso de scaena decessit, Amphitryo uerba *Perii miser sqq.* (u. 1039 sq.) ita eloquitur, ut Iouis uerba *Intro ego hinc eo: Alcumena parturit* (u. 1039) non ad Amphitryonem, sed ad spectatores conuersa non audiat uel potius audiuerit. Iouem abiisse tum demum animaduertit, postquam se ad regem iturum et, quae iacta sint, enarraturum esse, ut 'Thessalum ueneficum, qui familiae mentem perturbauerit' ulcisceretur, iam promisit. Quod consilium abitu Iouis animaduerso ilico ita mutatur, ut Amphitryo in aedes irrumpere eumque, qui ad uxorem suam abierit, sequi constituat. Si uerborum conexus ita intellegitur, non potest in eo offendi, quod is, qui modo se ad regem iturum esse minatus sit, id adeo non persequatur, ut in aedes irrumpere constituat. Mutata condicione mutatur consilium: Ioue digresso aliud consilium Amphitryoni placet atque antea, cum Iuppiter in aedes introeuntem prohibiturus esse uideretur. Iouem autem digressum esse Amphitryo post uerba u. 1044 demum intellegit idque exprimitur uerbis (u. 1045): *Séd ubi illést? intro édepol ábiit, crédo ad úxorém meám.* Quae cum ita sint, non oportere puto, uerba *Iám me ad régem récta dúcam résque ut fáctast éloquár* (u. 1042) cum C. F. W. Muellero (Philol. IX p. 741) Blepharoni assignemus.

sit, tria, quamuis illius fabulae nomen non prae se ferant, tamen ab Hoffmanno in illorum numerum recepta neglegenda esse, non quod per se ab Amphitruonis fabula aliena sint, sed quia talia conuicia, qualia plurima maxime dominorum cum seruis rixantium in Plautinis comoediis extare constat, eodem iure in quauis alia fabula prolata esse cogitari potest:

Seru. ad Verg. Aen. VI, 715: *Te dissipábo támquam fólia fárfarí.*

Seru. ad Verg. Aen. VI, 776: *Castrúm poenárum.*

Seru. ad Verg. Aen. VI, 229: *Pro láruáto té circúmferám.*

Eiusdem Hoffmanni fragmentum XXI (Non. p. 305): *Qui etiam me miserum famosum facit flagitiis suis* in Nonii libris Asinariae nomine insigne ad Casinam pertinere demonstrauit Studemundius[1]. Nonii enim uerba corrupta ita emendanda esse: Plautus in Casina: *Qui étiam mé miserúm famósum fēcit flágitiis suís* membranis Ámbrosianis nos doceri, in quibus lacuna nouem uersuum, quae in Vetere codice inter Cas. V, 4, 13 et 14 indicetur, octo septenariis recte repleta sit; atque cum septem quidem priorum septenariorum paucae tantum atque incertae reliquiae supersint, ultimi has umbras acriter intenta oculorum acie expiscatum se esse:

QUIETIAMMEMISERUMFAMOSUMFEC · · FLAGITI · SSUIS

Verba sine dubio esse Olympionis ad Lysidamum conuersa, quae ab hoc '*Non taces*' uerbis V, 4, 14 excipiantur siue potius interrumpantur.

Praeterea non in lacuna, sed in ipsa fabula ponenda sunt ea uerba, quae a Nonio p. 76 afferuntur; de qua re nunc uberius dicendum est.

Non. p. 76: '*Absente nobis* et *praesente nobis* pro *praesentibus nobis* et *absentibus nobis*. Plautus Amphitryone: *Nec nobis praesente aliquis quisquam nisi seruus.*'

Plauti Amphitruonis u. 400 codices fere sic exhibent:

Néc nobís praetér me (*med* Ritsch.) *álius quísquamst sér-uus Sósiá.*

---

1) Ind. schol. Gryphiswald. 1871 p. 15.

Nonne hi duo uersus inter se tam similes sunt, ut eosdem fere eos esse putes?

Verba Noniana prima specie in lacunam cadere uidentur, qua turbulenta illa inter Amphitryonem et Mercurium scaena interrumpitur. Sed accuratius si quaeretur, locus uix indagabitur, quo apte proferri potuerint. Postquam homines docti uaria temptauerunt, Hoffmannus eumque secutus Vssingius illa uerba in lacuna posita Alcmenae ita dant, ut maritum eorum commonefaciat, quae inter ipsam et illum acta sint (III, 3) praeter Sosiam nullo coram praesente. Sed neque is, qui testimonio aliquem mendacii conuincere studet, ultro solet profiteri se non plus unum testem habere, et in III, 3 praeter Sosiam Alcmenae ancillas in scaena adfuisse inde colligas, quod paulo ante (u. 949) Iuppiter certis personis imperauit, ut Sosiam euocarent.

Itaque cum illa uerba a Nonio laudata ad scaenam deperditam uix possint reuocari, locus illi uersui uidetur quaerendus esse in ipsius fabulae partibus integris. Sed omnibus scaenis peruestigatis cum nullum locum inuenerim, quo ille uersus neglegentia librariorum uideatur intercidisse, mirabili illius u. 400 cum fragmento Noniano similitudine adducor, ut unum eundemque uersum esse opiner, qui uel in Plautinis uel in Nonianis libris manuscriptis uel in utrisque librariorum erroribus sensim adulterinam induerit speciem. Atque primum quidem tenendum est *praesente nobis* structuram, quamuis mirabilis sit, satis saepe legi neque ita intellegendam esse — quod facile quispiam crediderit — ut illi *nobis* nihil aliud nisi pluralis maiestatis, qui uocatur, subsit; sed ut ablatiuus singularis *praesente* aduerbii uel praepositionis loco usurpatus cum pluratiuo numero coniunctus sit, id quod ex his apparet locis, quos Donatus affert ad Terent. Eun. 649: *Néscio quíd profécto* *a b s é n t e n ó b i s túrbatúmst domí*: Pomponius: *Sine ergo istuc* *p r a e s e n t e a m i c i s inter cenam.* Varro in Marcellum: *Id* *p r a e s e n t e l e g a t i s o m n i b u s exercitu pronuntiat;* cf. Non. p. 154. Itaque in Plautino uersu 400 pro *praeter me* in eo libro, quo Nonii auctor usus est, *praesente* extitisse uidetur.

Nam cetera apud Nonium corrupta esse constat, ut excidisse in fine *Sosia*, pro *aliquis* cum Vssingio *alius* ponendum, *est* uel *'st* praecedenti uoci affixum pro *nisi*, unde illud facillime oriri potuit, substituendum esse censeam. Iam uersus Nonianus hanc habebit speciem:

Nec nobis praesente alius *quisquam*st *séruos* ⟨*Sosia*⟩.

Atqui priusquam longius progrediamur, uidendum est, num per sententiam fieri liceat, ut uersus Nonianus, qualem quidem nos constituimus, in illum fabulae locum admittatur. Mercurius per actus I scaenae I illam partem, cuius u. 400 est, contendit se Sosiam esse a Creone uigilem ante Amphitryonis domum collocatum (u. 351); Sosiam autem, quod se Sosiam dicat, mentiri. Sosia repugnat tandemque dicit (u. 399):

Cérte edepól tu me álienábis númquam quín nostér siém;

huc quae uerba in uersu 400 addit, qualem quidem apud Nonium extitisse putamus, ea sic intellegenda essent: 'Licet me absente tu fueris Sosia; nunc autem cum nos, i. e. Amphitryo et ego, Sosia, bello feliciter confecto reuerterimus, nemo nisi ego Sosia est.' Quae sententia huic loco satis congruens uidetur; at offendit hiatus inter pedem tertium et quartum septenarii trochaici, quem ad tollendum saltem transpositione Fleckeiseniana opus esset: *quísquamst álius.* Potest autem illud *alius* sine ulla dubitatione post *quisquam* poni, cum neque Plautus certum ordinem in componendo adiectiuo *alius* cum pronominibus indefinitis obseruet, immo *alius* modo post pronomen modo ante pronomen legatur[1]), et a Nonio saepius uerba Pautina mutato ordine citari hi loci ex ipsa Amphitruone petiti doceant:

Amph. prol. 117:	*huc processi*	Non. p. 224: *processi huc*
u. 775:	*istanc iubes*	p. 261: *iube istam*
u. 978:	*Amphitruonem iam*	p. 88: *iam Amphitruonem.*

---

1) Amph. 186: *alius quisquam*, 425: *quisquam alius*, 271: *quicquamst aliud*; cf. Cist. I, 1, 90. Trin. II, 4, 118. Merc. III, 4, 81. Stich. I, 3, 102. Asin. I, 3, 83. Curc. IV, 2, 29. Cist. IV, 1, 4.

Leuior offensio est in Noniana scriptura, quod *nobis praesente* commendari non uidetur exemplis huc spectantibus, quae inuerso ordine exhibent *absente nobis*, *praesente amicis* etc. Possis igitur hanc uerborum collocationem commendare: *Néc praesénte nóbis álius quisquamst sèruos Sósiá*, qua collocatione simul hiatus ille euitabitur; nisi ideo, quia uix expectamus Sosiam pronomine *nobis* praeter se Amphitryonem quoque Pseudo-Sosiae opponere, codices Plautinos sequi malueris.

§ 3.

In fragmentorum suum cuique locum tribuendo summa et praecipua uis cum in ipsorum argumentis tum in iis posita est, quae ex rebus in superstitibus fabulae partibus actis concludi possunt. Sed in fragmentis a Nonio laudatis praeterea adiumentum acceptissimum petere possumus ab iis, quae Schottmuellerus et P. Schmidtius[1]) de ratione, qua Nonius librum suum conscripsit, sagaciter aperuerunt. Constat enim Nonium exempla pleraque non ex ipsis scriptis eorum, quorum testimonia affert, exscripsisse, sed aliorum grammaticorum commentarios ita adhibuisse, ut eos peruoluens quaereret, quae in singula capita reciperet. Quo fit, ut exempli gratia lemmata ad Aululariam pertinentia praecedant iis, quae sunt ex Bacchidibus petita, ex Captiuis autem, Curculione, Epidico, Milite e. q. s. hausta deinceps proferantur; indidem sequitur, ut uersus exemplorum primariorum loco ex una eademque fabula allati eodem se ordine excipiant, quo in ipsa fabula extant. Itaque in primo primi capitis ordine exemplorum Plautinorum lemmata hanc seriem efficiunt: Plaut. Asin. I, 3, 20. Asin. III, 3, 116. Asin. V, 2, 42. Aul. II, 6, 6. Aul. III, 2, 8. Bacch. I, 1, 4 (R.). Bacch. IV, 6, 22. ⟨Bacch. V, 2, 31.⟩ Cas. II, 2, 3. Cas. II, 2, 49. Cas. V, 4, 3c[1]). Capt. III,

---

1) A. Schottmueller: Ueber die Bestandtheile des ersten Capitels des Nonius Marcellus. Symbol. phil. Bonn. Lips. 1867. P. Schmidt: De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis. Lips. 1868.

5, 3. Curc. I, 2, 5. Curc. V, 2, 15 e. q. s. Qui Nonii mos ad ordinem fragmentorum ad lacunam Amphitruonis pertinentium recte constituendum quantum ualeat, manifestum atque perspicuum esse credo. Itaque ut ex lemmatum ordine hoc (Non. p. 43):

uerna Amph. I, 1, 25.
concinnare Amph. I, 3, 31.
blatis et blateras Amph. II, 1, 79.
percontari Amph. II, 2, 78.
prodigia Amph. II, 2, 107.
cerriti Amph. ?

sequitur, ut extremus uersus, quodcumque argumentum amplectitur, in fabula integra post II, 2, 107 extiterit, ita hoc testimoniorum ordine (p. 453)[2]:

usu Plaut. Amph. II, 2, 215.
furtum [Verg. lib. IV.]
Plaut. Amph.: *Mánifestum húnc obtórto cóllo téneo fúrem flágití.*
ingredi Plaut. Amph.: *Níhilne té pudét, sceléste, pópuli in cónspectum íngredi?*

demonstratur uerba: *Níhilne té pudét sqq.* in lacuna collocanda esse post uerba: *Mánifestum húnc sqq.* Item ordo hic (p. 543):

aula Plaut. Amph.: *'Optumó iure ínfringátur aúla cíneris ín capút.*
matella Plaut. Amph.: *Ne tu postules matulam unam tibi aquam infundi in caput*

docet uerba *Ne tu postules sqq.* post uerba *'Optumó iure ínfringátur sqq.* in fabula pronuntiata fuisse. Itaque ei, qui in fragmenta Amphitruonis inquirere sibi proposuerit, sedulo cauendum erit, ne hanc legem in ipsa Noniani libri compositione positam neglegat laedatue.

---

1) Cf. Studemund. Herm. I p. 286 sq. et ind. lect. Gryphiswald. 1871 p. 15.

2) Cf. Schmidt. l. l. p. 29.

Quam autem rationem sequamur oportet in exemplis subseciuis (Schottmuellerus: 'Anhaengsel'), quae uocat Schmidtius, quae exemplis primariis adnectuntur? Magni enim momenti id est, ubi quaerendum est, quo ordine tres uersus sub uocibus *cerriti* et *laruati* ex Amphitruone a Nonio allata in ipsa fabula Plautina extiterint. Traduntur autem sic (p. 44): '*Cerriti* et *laruati* male sani et aut Cereris ira aut laruarum incursatione animo uexati. Plautus Amphitryone: *Laruatus edepol hominem miserum medicum quaeritat.* Idem, qui supra[1]): *Quasi aduenienti morbo medicati iuuem. tu certe aut laruatus es aut cerritus.*'

Forsitan quispiam putauerit eodem modo, quo in exemplis primariis, uersum secundo loco a Nonio positum constanter etiam in ipsa fabula sequi uersum prius citatum, primarium exemplum; sed si ordines testimoniorum Plautinorum ipsos inspexerit, statim cognoscet eodem fere ordine exempla subseciua ex singulis comoediis hausta esse, quo primaria, incipi autem in enumerandis iis semper a primis comoediis (Amphitruone, Asinaria, Aulularia sqq.), ut exemplum primarium ad Poenulum pertinens uersus Asinariae, uersus Amphitruonis act. I uersum Amphitruonis act. III exempli primarii uice functum excipere possit:

Non. p. 8: *nautea*	Curc.	p. 11: *passum*	Stich.
	Asin.		Poen.
p. 123: *incitae*	Trin.	p. 72: *aetatem*	Asin. II, 2, 18.
	Poen.		II, 2, 8.

Itaque ipso ordine uersuum *Laruatus sqq.* et *Quasi aduenienti sqq.* neque iubemur neque uetamur alterum ante alterum in lacuna ponere.

Quae cum ita sint, uidendum est, num quid ex illis uerbis, quibus posterius fragmentum ad prius adseritur: *idem, qui su-*

---

1) Recte Quicheratius cum ueteribus editionibus uerba *in Amphitryone* codicibus seruata ex contextu uerborum remouenda esse censuit. Nullo enim modo cogitatione reperitur, quid 'idem, qui supra in Amphitryone (sc. dixit)', re uera fecerit.

pra concludi possit ad rem diiudicandam, utrum uerba *Quasi aduenienti sqq.* ante uerba *Laruatus sqq.* an post ea in comoedia extiterint.

His uerbis homines docti usque ad Hoffmannum id significari putabant, in ipsa fabula uerba Plautina secundo loco allata ante priore loco allata sedem habuisse et haec cum illis arte cohaesisse. Primo enim adspectu uerba *idem, qui supra* hoc fere uidentur uelle: 'Plautus, quoniam in hac fabula iam supra dixit: *Quasi sqq.*, etiam haec profert: *Laruatus sqq.*'; cui interpretationi ueri quaedam species additur hoc loco Noniano (p. 59): '*Mansuetum* dictum est quasi manu assuetum, quod omnia, quae sunt natura fera, manuum permulsione mitescant. Vnde Vergilius Georgicorum lib. III (u. 186): *Et plausae sonitum ceruicis amare.* Et Aeneidos lib. VII (u. 490): *Ille manum patiens.* Quoniam supra dixerat (u. 489): *Pectebatque ferum puroque in fonte lauabat*', ubi uerba Vergiliana cum antecedentibus per uocem *supra* conexa in contextu Aeneidis his statim excipiuntur:

Pectebatque ferum puroque in fonte lauabat
Ille manum patiens mensaeque assuetus erili.

Quo loco quamuis illa opinio fulciri uideatur, longe tamen aliter uerba intellegi possunt, ut non subaudiendum sit: 'Plautus, qui in Amphitruonis fabula ipsa supra, i. e. ante uerba *Laruatus sqq.* dixit: *Quasi sqq.*', sed sic: 'Idem (sc. Plautus), qui supra in hoc libro (Nonii) testis aduocatus est' uel: 'cuius testimonium supra allatum est'.

Sed opus esse uidetur obseruare, quibus uerbis sollemnibus exempla subseciua et ad primaria adnectantur et inter se conectantur. Respicienda autem sunt ea tantum, quae ad eundem eiusdem scriptoris librum pertinent, ad quem exemplum antecedens, cum etiam uerba *Quasi sqq.* Amphitruonis fabulae esse alio Nonii loco (p. 247) disertim doceamur[1].

Maxima autem uarietas est illorum uerborum sollemnium,

---

1) Non. p. 247: '*Aduenire* incipere. Plautus Amphitryone: *Quaeso aduenienti sqq.*'

cum Nonius non suis, ut ita dicam, formulis utatur, sed quas apud quemque eorum grammaticorum, ex quibus sua exscribit, inuenerit, easdem usurpet; id quod clarissime cernitur in exemplis Vergilianis; in quibus cum talis quasi formulae loco nuda particula *et* sexies decies [1]) legatur, in aliorum scriptorum uerbis afferendis nusquam ea adhibetur.

Hae autem formulae usurpantur in Nonii libro ad locos ex isdem eorundem scriptorum libris haustos inter se conectendos: *idem eadem*, *idem in eadem* (sc. fabula), *idem eodem*, *idem in eodem* (sc. libro), *idem in eodem libro, et idem eodem libro, et in eadem* (sc. fabula), *et eodem* (sc. libro), *in eodem*, *et in eodem* (sc. libro); — *idem et alio loco, et idem alio loco*, *et in alio* (sc. libro), *et alio loco, et alibi, et rursum, et rursus idem, ac inde* (p. 453, 3), *et postea in eo libro, et post, et in consequentibus, et in sequentibus, idemque sequentibus.*

Itaque *supra* non ita usurpatur, ut ad locum libri modo citati spectet, immo uero, quamuis saepe significetur uersum aliquem post uersum antea allatum in ipsa fabula libroue positum esse, tamen nusquam indicatur uersum aliquem in fabula ipsa positum esse ante uersum apud Nonium antecedentem.

Locum Nonianum ei, de quo agimus, aliquatenus similem repperi unum (p. 43): '*Vernas* ueteres appellabant, qui uere sacro fuerant nati; et habebatur nomen hoc pro uitabili maledicto. Plautus Amphitryone (u. 179 ed. Fl.): *Hic, qui uerna natus est, queritur.* Lucilius: *Vernam ac cercopithecon.* Plautus, qui supra (u. 1033): *Cúm cruciátu tuo ístaec hódie, uérna, uérba fúnditás'.*

Vterque locus haec habet notabilia:

Verbis *Plautus, qui supra* et *idem, qui supra* quamuis fabulae indicium non contineatur, bini uersus inter se conectuntur, qui eiusdem fabulae Amphitruonis sunt, cum addendum esse uideatur uel 'in Amphitryone' uel 'in eadem'.

1) Non. p. 230, 6. 326, 31. 328, 3. 341, 14. 348, 16. 373, 15. 376, 21. 387, 47. 420, 36. 432, 23. 442, 21. 442, 28. 460, 4. 463, 20. 524, 14. 535, 23.

Ambo loci in uno eodemque testimoniorum Plautinorum ordine extant [1]).

Ambo profecti sunt ex eiusdem grammatici libro, eius quidem, qui tres tantum fabulas, Amphitruonem, Asinariam, Aulularium commmentario uidetur instruxisse [2]).

Itaque in errorem incidere mihi non uideor, cum sic statuam: non ex Nonii uel ex grammaticorum, quos ille habet auctores, usu dicendi illud *idem, qui supra* explicari posse, sed ex condicione eius codicis Plautini, quo is, ad quem ille testimoniorum ordo referendus est, grammaticus usus est.

Vide, ne sic omnes difficultates expediantur: In Plauti ea editione, qua grammaticus ille usus est, uel eadem explicatio et ad uersum *Laruatus sqq.* et ad uersum *Quasi aduenienti sqq.* scholii loco in margine adscripta erat: '*Cerriti* et *laruati* male sani et aut Cereris ira aut laruarum incursatione animo uexati' uel, id quod nescio an probabilius sit, ad uersum in fabula Plauti priorem locum obtinentem: *Laruatus sqq.* illa ipsa explicatio adscripta erat, ad alterum: *Quasi sqq.* explicatio illi simillima. Quo libro usus grammaticus Nonii auctor cum priorem explicationem exscripsisset, eandem autem uel ei simillimam infra legeret, ne idem bis scriberet, uersum *Quasi sqq.* uersui, qui supra scholio marginali explicatus erat, uerbis *idem, qui supra* additis ita subiunxit, ut uno eodemque scholio duo uersus comprehenderentur ipsumque scholion in eam redigeretur formam, quam nunc in Nonii libro prae se fert. Itaque ex Plauti codice scholion in illam formam redactum postea integrum in Nonii librum fluxit.

Neque aliter uidetur res esse de uersibus 179 et 1033: Ad u. 179 in eodem, de quo modo diximus, libro scholii loco adscriptum erat: '*Vernas* ueteres appellabant, qui uere sacro fuerant nati; et habebatur nomen hoc pro uitabili maledicto.' Idem uel simile interpretamentum ad u. 1033 adscriptum cum repperisset, ut, quod bis faciendum esset, uno labore absoluere-

---

1) Cf. Schmidt. l. l. p. 21. 2) Cf. Schmidt. l. l. p. 35.

tur, grammaticus ille u. 1033 in scholion ad u. 179 spectans inseruit; nec tamen ita, ut uerba *idem, qui supra* adderet, sed *Plautus, qui supra,* cum in scholio priore ipso iam locus Lucilii laudatus esset.

Quodsi hoc modo uerba et *idem, qui supra* et *Plautus, qui supra* orta sunt, non mirum est, quod ea uerba contra usum ceteroqui obseruatum id significant, utrumque uersum Plauti ex una eademque fabula sumptum esse.

Itaque uerbis *idem, qui supra* adeo non significatur, id quod homines docti usque ad Hoffmannum uolebant, uersum *Quasi sqq.* in contextu Amphitruonis fabulae ante uerba *Laruatus sqq.* extitisse, ut inuersum ordinem fuisse et priorem in fabula locum haec:

Laruatus edepol hominem miserum medicum quaeritat,

posteriorem illa:

Quasi aduenienti morbo medicati iuuem sqq.

habuisse putandum sit.

Itaque, ut summam eorum faciam, quae singillatim exposui: ex libri Noniani compositione cognoscitur in lacuna uerba:

Mánufestum húnc obtórto cóllo téneo fúrem flágiti

ante uerba:

Níhilne té pudét, sceléste, pópuli in cónspectum íngredí,

item:

'Optumó iure infringátur aúla cíneris ín capút

ante uerba:

Ne tu postules matulam unam tibi aquam infundi in caput,

item:

Laruatus edepol hominem miserum medicum quaeritat

ante uerba:

Quasi aduenienti morbo medicati iuuem.

Tu certe aut laruatus es aut cerritus

collocanda esse.

Iam accedo ad quaestionem de fragmentis singulis instituendam.

§ 4.

Fragmentum I.

Non. p. 342: '*Mactare* malo afficere significat. Plautus Amphitryone: *At ego certo cruce et cruciatum mactabo exuo mastigia*'.

Hoffmannus quidem hoc fragmentum (l. l. p. 50) sic expedire sibi uisus est, ut scriberet:

At certo egó

Crúce te et crúciatú mactábo: éxitó, mastígiá.

Sed in *exuo* litteris quominus *exito* latere opinemur, Plauti usus obstat, quo, si modo in enuntiato imperatiuus uerbi exeundi suum locum habeat, requiratur praesentis imperatiuus *exi*. Vssingius autem ex uerbis illis hunc uersum conformat:

'At ego ⟨té⟩ cruce ét cruciátu máctabó, mastígiá.

Cui hoc certe concedendum uidetur, fragmento illo fabulae uersum 1034: Me.: *Sácrufico égo tibi.* Am.: *Qui?* Me.: *Quia enim té macto infortúnió* statim exceptum fuisse. Item placet, quod a uiro illo docto pronomen *te,* quippe quod in enuntiato uersui 1034 opposito uim quandam obtineat, statim post pronomen *ego* collocatur. Vno autem uersu uerba *At* — *mastigia* comprehendenda esse inde effici uidetur, quod et ab *at* particula enuntiatum uersui 1034 accurate respondens incipere par est, et quominus extremorum uerborum quaedam ad insequentem aliquem uersum pertinere putemus, is Plauti Terentiique mos impedit, quo uox *mastigia* in senariis iambicis et septenariis trochaicis non legitur nisi in sede ultima[1]. Recte igitur, credo, Vssingius fecit, quod, cum uerba fragmenti illius, quale extat apud Nonium, plura sint, quam ut integra in unum septenarium trochaicum possint cogi, ex uersu corruptissimo

1) *mastigia* clausulam senarii iambici efficit Cas. II, 8, 10. Most. I, 1, 1. Ter. Adelph. V, 2, 6. Capt. III, 5, 1; *mastigia* legitur in exitu septenarii trochaici Curc. IV, 4, 11. Cas. II, 6, 9 [Poen. I, 2, 177 corruptus est] Rud. IV, 3, 83. Poen. I, 2, 168. Capt. III, 4, 68. Trin. IV, 3, 15. Praeterea Most. 741 *mastigia* occurrit in medio tetrametro cretico.

quaedam eiecit, quamquam quomodo litterae *exuo* in textum Nonii uenerint aegre perspicitur. Accedit quod, cum Amphitryo (u. 1033) his minis in Pseudo-Sosiam inuectus sit: *Cúm cruciátu tuo ístaec hódie, uérna, uérba fúnditás*, uerba *cruce* et *cruciatu* uix fortiorem et adauctam minarum uim exprimere possunt. Itaque nescio an uerba (*cruce et*) *cruciatu* aliquo modo per dittographiam nata ex uersu 1033 in Nonii scidas irrepserint. Exempli gratia uersum, de quo agitur, ita constituo hiatu, quem legitimum arbitror, admisso:

'At ego ⟨té⟩ certó mactábo éxitió, *mastígiá*.

Fragmentum II.

Non. p. 44 (cf. supra p. 12): '*Laruatus edepol hominem miserum medicum quaeritat*'.

Fragmentum si sic scribitur: *Láruátu's; édepol hóminem miserum! médicum quaérität*, uerbo *laruatu's* Mercurius Amphitryonem ira furentem compellasse, insequentibus, quod ille tam uehementer in aedes inuadere contenderet, ad spectatores conuersus ludibrii causa ita explicasse uidetur, ut medicum, qui dementiae suae mederetur, eum inde arcessere uelle diceret. Sed simplicius imperatiuum *quaerita* restituas.

Fragmentum III.

Non. p. 354: '*Occupatus* impeditus; ut Graece dicitur ἀσχολεῖ, id est: Vacuus non est. Plautus in Amphitryone: *Erus Amphitryo occupatus*'.

His uerbis, quae nescio an sic scribenda sint: *'Erus Amphítruost óccupátus*, Mercurius Amphitryoni fores pultanti introitum concedi posse uidetur negauisse, quod Pseudo-Amphitryo occupatus esset.

Fragmetnum IV.

Prisc. I p. 564 H: 'Plautus *abiendi* dixit pro *abeundi* in Amphitryone: *Abiendi nunc tibi etiam occasio est*'. (Cf. Neuii Formenlehre uol. II p. 459. 607).

Verba posteriorem, ut uidetur, septenarii trochaici partem efficientia:

— ∪ — ∪ — abeúndi[1]) *núnc tibi étiam occásióst*

Mercurii uidentur fuisse Amphitryonem a foribus pellere studentis hac fere condicione prolata: 'Etiam nunc abire tibi licet; mox autem, nisi abieris, te uerberabo atque docebo, quid id sit fores tam uehementer pultare, quasi effringere uelis'.

Fragmentum V.

Non. p. 543: '*Aula*, quam nos ollam dicimus, est capacissimum uas. Plautus in Amphitryone: *'Optumó iure ínfringátur aúla cineris ín capút'*.

Cf. quae de hoc uersu et supra diximus (p. 11) et statim ad fragmentum VI disputabimus.

Fragmentum VI.

Non. p. 543: '*Matella* aquarium uas. Plautus in Amphitryone: *Ne tu postules matulam unam tibi aquam infundi in caput*'.

Vssingius, quod scripsit: *Né tu póstulés, matulá iam iám tibi aquam ínfundo ín capút,* haud feliciter *unam*[2]) commutauit cum illo duplici *iam* Plauto non nimis familiari. Verba *Ne tu postules* Vssingius, quomodo quisquam sibi uelle aut postulare possit, ut matula in caput infundatur, intellegere se negans ita separat ab insequentibus, ut post uocem *postules* interpungat eiusque obiectum in antecedentibus aut positum aut inde audiri censeat. Pro *infundi* quod idem scribit *infundo*, manente Amphitryone Mercurium a minis ad res progredi matulamque aquae plenam ei in caput infundere statuens, id minime pro-

---

1) Vt Priscianus formam *abiendi* Plauto tribueret, eo factum uidetur, quod nimiam fidem habuit Plauti codicibus suis. Nam de *abiendi* forma ex *abitendi* corrupta cogitare non ausim.

2) Cf. W. Studemund, Commentatio de Vidularia Plautina. Gryphisw. 1870 p. 14, ubi de uersu fragmento VI simillimo, Aul. III, 6, 35: — *át ego iússeró Cadum únum uíni uéteris ád me adférriér* agitur.

bandum est. Neque enim infundi aquam a Mercurio neque progredi eum ad res, sed minari tantum fragmento XI, quod Vssingius quoque Amphitryoni in Sosiam inuehenti tribuit, clarissime demonstratur: *Quid minitábas té factúrum, si ístas pépulissém forís?* Nam aliter certe Amphitryo Sosiam interrogaret, si non uerbis solum, sed re etiam a Pseudo-Sosia (id est a Mercurio) laesus esset.

Equidem sic statuo, si illud *ne* non pro coniunctione finali, sed pro particula affirmatiua habeamus, quae difficultas in tralaticia illa scriptura inesse Vssingio uideatur, eam tolli. Nam qui paulo ante Amphitryoni iocose dixerit (u. 1032): *á me méndicás malúm* (cf. etiam u. 360), is eodem iure dixisse potest: 'Vis (cf. Brix. ad Trin. 237) matulam in caput infundi (cum tam impudenter te geras)'. Ac potest eiusmodi enuntiatum uel causale uel condicionale in fabula integra additum fuisse [1]), quamquam necesse non est [2]). Itaque pro *postules,* quippe quod a librario aliquo uocem *ne* particulam finalem esse putante substitui facile potuerit, scribendum suspicor *postulas.*

Probabilius quam Vssingius scripsit Hoffmannus: *Né tu póstulés matulam únam tíbi aquai ínfundi ín capút*, nisi quod *aquam* in *aquaï* mutandum esse nego, quia talium genetiuorum ultima alibi nusquam eliditur (cf. Lachmanni adn. ad Lucret. III, 374). Ita autem uersui succurrere, ut *aqŭae* tribus syllabis pronuntietur, uix ausim, cum *aqua* apud poetas priscos saepissime disyllabum sit et quattuor illos uersus, quos Lachmannus in adn. ad Lucret. VI, 552 ad probandum trisyllabum *aquae* usum affert, aliter atque Lachmanno uisum est scribendos esse ueri simile sit. Nam Truc. II, 7, 13 non cum Lachmanno et Gepperto legendum est: *Nísi deríuetúr tamen, ómnis éa aqŭa ábeat ín maré* (*ea qua abeat* codd. *omnis* ⟨*aeque*⟩ *aqua* Spengel.), sed cum Ritschelio: *Nísi deríuetúr tamen, ómnis éa aqua abítat ín maré.* In Militis autem loco II, 6, 70. 71 (551.

---

1) Cf. Fleckeis. Philol. II p. 57 sqq.

2) Cf. G. Hermann. Philol. III in primis p. 463.

552): *Nam ex úno púteo similiór numquám potís Aqua aéque*[1]) *súmi, quam haéc est átque ista hóspitá* cum Ritschelio[2]) pro *Aqua aeque* scribendum est *Aqua aquaï*. Eodem auctore[3]) Titinii fragmentum (Non. p. 245), quod Lachmannus tale esse uoluit: *Térra haec ést, non áqŭa, ubi és tu sólitus árgutáriér* (codd.: *terra haec est noua quae ubi tu*), sic potius restituendum uidetur: *Térra haec ést, non áqua, ubi tú⟨te⟩ sólitu's árgutáriér*. Quem denique locum poetae alicuius tragici Lachmannus protulit (Cic. Tusc. I, 5, 10: Trag. Rom. fragment. ed. Ribb. p. 251)[4]), eum uix apte in quaestionem uocari idem Ritschelius[5]) recte monuit.

Itaque cum et *aquaï* genetiuo et *aqŭae* forma trisyllaba abstinere usu comicorum uideamur cogi, de tertia genetiui forma antiquiore in *-as* desinente uidendum est, quae, quamquam sicut genetiuus in *-ai* exiens in codicibus rarissime seruata est, grammaticorum tamen testimonio probatur. Priscianus quidem (I p. 198 H.) affert *escas*, *Monetas*, *Latonas* (Liuius Andronicus), *terras* (Naeuius), *uias* (Ennius); *aquas* formam ipsam a Charisio commemorari quo iure Kuehnerus (Ausfuehrliche Grammatik der Lateinischen Sprache, Hannover 1877 I p. 255) contenderit, nescio. Qua genetiui in *-as* forma usus Buechelerus duos uersus non infeliciter uidetur emendasse (Grundrisz der Lateinischen Declination, Leipzig 1866 p. 32), cum Pers. III, 3, 5 pro *Pecúniaé accípiter áuide atque ínuidé* (Ritsch. cum elisione non ferenda: *Pecuniáï accípiter*) scriberet *Pecúniás accípiter áuide atque ínuidé*[6]), Bacch. II, 3, 73 pro

---

1) Sic scripserunt Lorenzius et Brixius, quia lectionem codicis Ambrosiani non satis cognitam habebant. Neque enim AQUAAEQ· (Ritsch.), sed -AĖQ·UAE uel -AĖQ·UAI ibi extare Studemundius in scholis docuit correctionemque primae deberi manui.

2) Opusc. II p. 581. 608.

3) Opusc. II p. 606.

4) *Mentó summam áqŭam attíngens, énectús sití* Lachm. *Ménto súmmam aquám ⟨niténti⟩ attíngens, énectús sití* Ritsch. *Mentó summam ámnem attíngens, énectús sití* Buecheler.

5) Opusc. II p. 605.

6) Lachmanni coniectura (in adn. ad Lucret. III, 374): *Pecúniae áuide*

Qui illíc sacérdos ést Diánae 'Ephesiaé? restitueret: *Qui illíc sacérdos ést Diánas 'Ephesiaé?*

Itaque fragmentum VI sic scribendum esse suspicor:

Né tu póstulás matulam únam tíbi aquas ínfundi ín capút.

Propius etiam abest a tradita lectione, quod O. Seyffertus benigne mihi commendauit, *tíbi aquae ⟨a me⟩ infundi ín capút* quamquam ut pronomen *a me* addatur uix expectes (cf. fragment. V).

Locum quidem fragmenti VI in fabula integra fuisse post fragmentum V supra (p. 11) certissimis argumentis demonstratum est. Vtriusque fragmenti uerba Mercurii fuisse uidentur contra Amphitryonem ita dicta, ut inter fragmentum V et VI Amphitryonis quaedam uerba intercesserint.

Fragmentum VII.

Non. p. 105: '*Exiurare* et *deiurare* id est ualde iurare[1]), ut *deamare.* Plautus Amphitryone: *Exiúrauísti té mihi díxe pér iocúm'.*

Verba Alcmenae sunt, quibus Amphitryonem illius iurisiurandi admonet, quo se per iocum eam adulterii insimulauisse ipse affirmauerit (cf. III, 2 atque in primis uu. 916—936).

---

accípiter átque l í u i d é non probanda uidetur, quia *liuidus* ita, ut idem atque *inuidus* significet, apud Plautum nusquam legitur. — Ceterum Lachmannus ipse illius in *-as* genetiui forma usus uersum secundum codices duplici hiatu foedum (Amph. 872): *Si id 'Alcuménae ínnocénti éxpetát* sanare sibi uisus est scribendo: *Si id 'Alcuménas ínnocéntiae éxpetát.*

1) Vssingius haec adnotauit: 'Errat Nonius, quod praepositioni intendendi uim tribuit; potius negatiua uis est eius, *eiurare* est iurando amouere.' Et sane Festus ep. p. 77: '*Eiuratio* significat, id, quod desideretur, non posse praestari. Plautus: *Eiurauit militiam*'; neque negari potest, ubicumque illud uocabulum cum accusatiuo coniunctum inueniatur, illam notiorem uim esse statuendam. Sed hoc loco (Amph. fragm. VII) cum constructum sit cum acc. c. inf., cuius structurae exemplum frustra quaesiui, Nonium eiusque auctores secutus statuere malim uerbo *exiurandi* uim praepositione *ex* auctam subesse. Cf. e. g. *expromittere* et quae de hoc uerbo congessit Ludouicus Stuenkel, De Varroniana uerborum formatione, Argentorati 1875 p. 72.

Fragmentum VIII.

Non. p. 237: '*Autumare* est dicere — Plautus Amphitryone: '*Nisi hoc ita factum est proinde ut factum esse autumo non causam dico uerum quin simules probri*'.

Pro *quin simules* emendandum esse *quin* in*simules* statim apparet.

Quicheratius scribit: *Non caúsam díco, uir, quin ínsimulés probrí.* Sed apud Plautum, ubi uxores de maritis loquuntur, ibi pronomen possessiuum solet addi: *meus uir* igitur omnibus fere locis similibus apparet. Vbi autem uxor maritum alloquitur, ibi pronomen numquam omittitur: *mi uir* constanter legitur, non nudum *uir*. Nam quod apud Ritschelium, quem Fleckeisenus et Lorenzius auctorem secuti sunt, haec illi legi repugnantia leguntur: Mil. III, 1, 97: *Dícat: dá mihi, uir, caléndis, meám qui mátrem múnerém*, Mil. III, 1, 93: *Quaé mihi númquam hoc dícat: éme, uir, lánam, tíbi unde pállium Málacum et cálidum cónficiátur*, priore loco et pro *mi* facile in codices BCD irrepsit *mihi* (F praebet *mi*) et in A (DICATDA———MEAMQUI sqq.) ea uersus pars, de qua agitur, teste Studemundio ad solas litteras MIUIRCALENDIS capessendas sufficit, ut sic uersus scribendus sit: *Dícat: dá*[1], *mi uír, calendis, meám qui mátrem múnerém*; altero loco scriptura codicum *mi uir* uerum esse docet: *dicate memi uir* CD *dicat · memini uir* Ba *dicat memini uir* Bb *dicat eme mi uir* FZ; A:

QUAEMIKINUMQAMK · · · ICATEMEMIUIRIANA · · NDE
· · BIPALLIUM,

ut aut haec sit uersus forma genuina: *Quaé numquam hóc dicát: eme, mi uir*[2]*, lánam, tíbi unde pálliúm* aut potius haec: *Quaé mihi númquam hoc dícat: éme, mi uir, lanam, únde pálliúm.* Quae cum ita sint, Quicheratii lectio repudianda uidetur.

Verum aduerbium esse putat Hoffmannus hunc locum respiciens (Amph. 858): *Nímis ecástor fácinus mírumst, qui illi*

---

1) In proximo uersu solum *da* (non *da mihi*) legitur: *Dá, qui fáciam cóndiménta: dá, quod dém quinquátribús.*

2) Ceterum *mi uir* etiam in Brixii editione Militis Gloriosi extat.

cónlubitúm siét Meó uiró sic me insimuláre fálsum fácinus tám malúm? ubi *falsum* et codicibus BDJ seruatur et usque ad Fleckeisenum editoribus placuit. Probabiliter autem hic uir doctus *falso* formam aduerbii notissimam pro *falsum* restituit. Nec prorsus concinunt cum dictione *uerum* uel *falsum insimulare* in uersu 858 uerba *facinus tam malum*, in fragmento VIII uerbum *probri*.

Vssingius *iure* reposuit: *Non caúsam dico quín iure insimulés probrí.* Melius autem scribitur *uero*; nam *uero* et idem potest ualere, quod *iure*: Most. I, 3, 21: *An máuis uituperáriér falsó, quam uéro extólli? Equidém pol uél falsó tamén laudári múlto málo, Quam uéro cúlpari aút meám speciem álios ínridére*, et propius abest a codicum ductibus.

Verba fragmenti VIII, quae nescio an sic genuinam praebeant formam:

Nisi hóc ita fáctumst, próinde ut fáctum esse aútumó,
Non caúsam díco, quín uero ínsimulés probrí,

Alcmenae uindicanda uidentur esse. Veri enim simile est, cum iterum maritus cum ea colloqueretur uxoremque, id quod iam u. 810 sqq. factum est, stupri insimularet, illam breuiter commemorauisse, Amphitryonem modo secum in aedibus fuisse; quibus dictis uerba illa apte addi potuerunt.

Fragmentum IX.

Non. p. 44 (cf. supra p. 12): '*Quasi aduenienti morbo medicati iuuenem* (teste Quicheratio *iuuenem* H P L J *iuuem* V W M *uiuere* J marg.) *tu certe aut laruatus es aut cerritus.*'

Non. p. 247: '*Quaeso aduenienti morbo iure*' (*morbo iure* edd. *moribo iure* [*iube* Gen. et Bern.] codd. *medicabis* in fine addunt AJ).

Qui hoc fragmento contineri uidentur duo senarii iambici, eorum cum posterior facillime sic redintegretur:

Tu cérte aut láruátus aút cerrítus⟨és⟩,

in prioris et initio et exitu multum elaboratum est. Nam quin prima quoque uox *quasi*, pro qua Noniani libri altero loco *quaeso*

praebent, corrupta sit, uix dubium uidetur, quamquam Hauptius opusc. II p. 367 eam genuinam esse ratus hanc nuper uersus speciem commendauit: *Quasi áduenién ti mórbo médicarí iubént.* Quae lectio parum probabilis uidetur: neque enim *quasi* illud quo pertineat aut qua ratione interpretandum sit, intellegitur, neque ulla fingi potest condicio, in quam totum enuntiatum quadret.

Homines docti plerique in uocula illa *quaeso* uerbi formam latere putarunt, quorum qui *quaese* scripserunt[1]), eandem illam uocem notionem habere statuentes atque *quaere*, ad absolutam illi quidem sententiam uersum reuocant. Sed uerbi *quaeso* pro *quaero* (= suchen) usurpati paucae et certae tantum formae, ut *liberorum quaesendum causa*, ex poesi epica et tragica supersunt[2]). *Quaese* formam qui uiri docti tuentur, in hoc ipso, de quo agitur, loco nituntur, in quem illam coniectura illatam esse eos uidetur fugisse. Nec recte Vssingius *quaesere* eadem notione qua *quaerere* apud Plautum et *quaesit* pro *quaerit* apud Lucretium legi innuit. Nam ut Bacch. II, 2, 1: *Mirúmst me, ut rédeam, te ópere tánto quaésere*, ita Lucret. V, 1229: — *prece quaesit* [*Ventorum pauidus paces*] uerbo *quaeso* non alia uis subest atque *rogo*.

Minime probanda est Quicheratii lectio: *Quaese áduenién ti mórbo médicarí Iouém*, quamuis extrema uox *Iouem* accurate ductus illos IUUEM sequatur; sed nusquam nisi his quattuor

---

1) Acidalius: *Quaese áduenién te mórbo núnc medicúm tibí.*
Hoffmannus: *Quaese áduenién ti mórbo médicatúm tibí.*
Vssingius: *Quaese áduenién ti mórbo médicamén tibí.*

2) Festus p. 258: '*Quaeso* ut significat idem, quod *rogo*, ita *quaesere* ponitur ab antiquis pro *quaerere*, ut est apud Ennium l. II: *Ostia munita est; idem loca nauibus pulchris Munda facit; nautisque mari quaesentibus uitam* et in Cresphonte: *duxit me uxorem liberorum sibi quaesendum gratia*; et in Andromeda: *liberum quaesendum causa familiae matrem tuae.*'

Ceterum memorari attinet *quaere*, ubi expectes *quaese* (roga) apud Plautum legi Men. V, 1, 36: *Ei, Décio, quaére meúm patrém, tecúm semúl Vt uéniat ád me.*

locis: Cas. II, 6, 37. 44. Rud. II, 6, 15. IV, 7, 30, quibus omnibus *deos quaeso* legitur, *quaeso* cum obiecto tertiae, quae uocatur, personae coniunctum est; neque meliore iure ex *quaeso* accusatiuum cum infinitiuo pendere uoluit Quicheratius, quae structura alienissima est ab usu Plautino. *Quaese* igitur illud cum nullo modo ferri posse uideatur, uidendum est, ne altera illa lectione *quaeso* adscita locus emendari possit. Cui uerbo apud Plautum uel tecte uel disertim secunda, quae uocatur, persona obiecta est ita quidem, ut id, quod ab hac petatur aut quaeratur, uel per imperatiuum uel per coniunctiuum finalem aut nudum aut *ut* particula addita uel per interrogationem adnectatur. Itaque ex librorum ductibus inde a *medicat*— uerbum enuntiati eliciendum uidetur. Post diutinam autem meditationem haec tandem uersus forma maxime mihi placuit:

Quaeso, áduenienti mórbo médicarí iubé.

Verba huius fragmenti, quae in contextu Plautino post fragmentum II: *Laruatu's sqq.* locum habuisse supra studuimus probare, possunt illa quidem dicta esse contra Sosiam a Blepharone illius de reconciliatis coniugibus narrationi identidem fidem non habente, sed uix minore iure Alcmenae tribuentur cum Amphitryone colloquenti, praesertim cum iam III, 2, 23 suspicari se marito uesaniam obrepsisse cum acerbo ludibrio significauerit.

Fragmentum X.

Non. p. 182: '*Vulgauit* honeste positum, uile habuit et quasi in uulgus dedit. Plautus Amphitryone: *Cuiusque me absente corpus uulgauit suum.*'

Verba huius fragmenti etsi in hunc septenarium trochaicum nescio quo casu primo pede priuatum:

⏑́ ⏑ quoi úsque méd absénte córpus uólgauít suóm

ita cogere possis, ut ab Amphitryone de Ioue dicantur, tamen, quoniam coniuges in lacuna iterum inter se collocutos esse ueri uidetur simillimum, pro *cuiusque* leuissima mutatione multo

confidentius malim *huius quae*[1]) restituere, ut existat hic senarius iambicus integer:

Huius, quaé *me absénte córpus uólgauít suóm.*

Amphitryonis fuisse opinor uerba de Alcmena in illo colloquio, quo coniuges iterum componuntur, dicta aut ad se ipsum aut ad tertium aliquem.

Fragmentum XI.

Non. p. 473: '*Minitas* pro *minitaris.* — Plautus in Amphitryone: *Quid minitábas té factúrum, si ístas pépulissém forís?*'

Illud *foris pellere* Terentio usitatius (cf. Ad. IV, 5, 4. V, 3, 2) apud Plautum alibi nusquam legitur. *Istas foris* hoc fere significat: 'fores a te custoditas.'

Verba esse Amphitryonis Sosiam cum Blepharone aduenientem propter conuicia, quibus ab illo prius se obrutum esse putet, increpantis luce clarius est.

Fragmentum XII.

Non. p. 225: '*Scrobes* feminino genere. Masculino Plautus Amphitryone: *Ibi scrobes fodito sexagenos in dies'*. Prisc. I p. 168 H: '— Scrobs — et masculino tamen genere inuenitur. Plautus in Amphitryone: *Ibi scrobes effodi duplus sexagenos in dies'*. Idem I p. 321: '— Plautus masculino genere profert in Amphitryone: *Ibi scrobes effodito plus sexagenos in dies'*. Cf. Prob. Cath. IV p. 20 (Keil.): 'Hic *scrobis* huius *scrobis* genere masculino. Sic Plautus: *sexagenos scrobes'*. (Cf. etiam Schol. in Lucan. ed. Vsener I p. 283: '*Scrobe* feminini generis, licet Plautus posuerit masculino').

Ex his locis Hoffmannus hunc uersum concinnauit: '*Ibi scrobés effódito dúplos*[2], *séxagénos in diés*; sed cum haud facile

---

1) Vssingius scribit: . . . . . *quaé me absénte córpus uólgauít suúm;* nam quid antecesserit, obscurum esse. Fortasse ⟨*'Eccam uídeo*⟩ *quaé me absénte sqq.* scribendum esse idem addit.

2) Cum syllaba prior uocis *duplos* breuis in thesi posita non satis

intellegatur, quid ille 'duplus scrobis' sibi uelit, recte ab Hertzio pro *duplus* uel *duplos* scribi *tu plus* censeo:

'Ibi scrobés ecfódito tú plus séxagénos in diés.

Sed mirandum uidetur, quod Hoffmannus, Hertzius, Vssingius *in dies* illud retinent, cum et usus in prisca latinitate regnans (cf. Mil. III, 2, 41. Stich. III, 2, 45. Cato r. r. 26. 64. 87. 88 [ubi *quotidie* explicationis loco adscriptum in contextum uerborum uidetur receptum esse]. 89.) et uersus Plautinus, qui apud Nonium (p. 225) fragmentum XII subsequitur: *Ego éffodiébam dénos in dié scrobés* commendent *in die*, pro qua lectione corruptam *in dies* antiquissimis iam temporibus ortam esse eo uidetur effici, quod et Nonius et Priscianus illud *in dies* exhibent.

Apparet autem his uerbis:

'Ibi scrobés ecfódito tú plus séxagénos in dié

ab Amphitryone Sosiae ingentem laborem supplicii loco imponi, quod in dominum tam impudenter se gesserit, et recte fragmentum ab Hoffmanno Vssingioque post uerba fragmenti XI: *Quid minitábas té factúrum, si istas pépulissém foris?* collocari.

Fragmentum XIII.

Non. p. 233: '*Anima* iterum significat iracundiam uel furorem, unde et animosi dicuntur iracundi. Plautus Amphitryone: *Animam comprime'*.

Verba suspicor fuisse Blepharonis, quibus iram Amphitryonis Sosiam compellantis placare studuerit.

Ad hoc fragmentum Vssingius haec adnotat: 'Sed sermonem interrumpit crepitus ostii exeunte Alcmena. Qua animaduersa Amphitryo Blepharonem aut fortasse Blepharo Amphitryonem tacere iubet: *Animam conprime.* Haec enim Nonius male intellexit, nec fieri potest, ut pro *animo* ponatur *anima*. *Animam conprimere* est 'spiritum retinere', u. Terent. Phorm.

---

placeret, Hoffmannus ipse etiam hanc uersus speciem commendauit: *'Ibi scrobés duplós effódito séxagénos ín diés.*

868: *'Animam cónpressi, aúrem admóui'.* Sed Vssingius, quod putat *animam conprimere* nihil aliud ualere atque 'spiritum retinere', non debuit illud *animam conprime* pro nudo *tace* positum facere. Ea ui, quam *animam conprimere* uerbis Vssingius tribuit, hae insignes sunt dictiones: *orationem conprimere* Amph. 496; *linguam conprimere* Amph. 348. Mil. II, 6, 88; *orationem domare* Mil. II, 6, 81; *conprimunda uox mihi atque oratiost* Pseud. I, 4, 16; cf. *aliquem conprimere* Rud. IV, 4, 81. V, 3, 46. Equidem cum persuadere mihi non possim Nonium uel eum, quem Nonius exscripserit, locum, quem integrum ante oculos haberet, tam male intellexisse, ut pro 'tacere' intellegeret 'iracundiam domare', collatis cum his locis: Truc. II, 2, 7: *conprime sis iram.* Most. I, 3, 46: *Vix cónprimór, quin ínuolem ílli in óculos stímulatríci* tum maxime Hor. carm. II, 2, 9: *Latius regnes auidum domando Spiritum sqq. animam conprime* sic, ut supra explicaui, interpretandum puto.

Quodsi quis nihilo minus persuadere sibi non poterit *animam* sic pro *animum* dici posse, is reputet Nonium, cum illa scriberet, fortasse in errorem inductum esse falsa scriptura libri, quo utebatur, in quem pro genuina lectione *animum* irrepserat *animam* (cf. Mil. I, 1, 39, ubi libri exceptis AB pro *animum meum* praebent *animam meam.* Fuit enim ille in praeceptis grammaticis constituendis tam temerarius, ut, ubi uel in insolentissimam dictionem incidisset, numquam de librariorum aliquo errore cogitaret; cf. Non. p. 198: '*Quale est* pro *qualis est*, neutro positum pro masculino. Plautus Amphitryone (u. 537): *Edepol condignum donum, quale est, qui donum dedit,* ubi certe illud *quale est* ex *qualist* (= *qualis est*) ortum est.

Fragmentum XIV.

Seruius ad Verg. Aen. VIII, 127: 'Sane ueteres et *precor illi* pro *precor pro illo* dicebant. Plautus in Amphitryone: *Noli pessumo precari,* hoc est: pro pessimo noli precari'.

Amphitryo his uerbis Blepharoni studenti domini in ser-

uum iram delenire (cf. fragmentum XIII: *Animam conprime*) uidetur respondere.

Fragmentum XV.

Non. p. 453: '*Furtum* etiam non ablata res, sed omne, quidquid occulte geritur, auctoritate ueterum dici potest. — Plautus Amphitryone: *Manifestum hunc obtorto collo teneo furem flagitii*'.

Dubitatio existit magna et quae uix posse solui uideatur, utrum scribendum sit *manufesto* an *manufestum*. Spengelius ad Truc. I, 1, 65 haec adnotat: '*Manufestum:* Aul. III, 4, 10: *furem manufestarium*; Bacch. IV, 8, 77: *moechum manufestarium*. Contra semper *manufesto tenere*', cuius rei plura exempla affert. Tamen Ritschelius ut hanc legem agnoscat, tantum abest, ut Merc. IV, 3, 32, ubi Palatini exhibent -*o* (in A hic uersus non extat) collatis, ut ait, uersibus Men. 594 et Bacch. u. 696 sic scribat: *Manufestum teneo in noxia.* Verum eum uidisse certe non statim concedendum uidetur; nam Bacch. 696, quem Ritschelius Gulielmium secutus sic scripsit: *Quám malum fácile, quém mendáci préndit mánufestúm modó*, non solum codices Palatini omnes *manufesto* (uel *manifesto*) exhibent, sed etiam in codice rescripto Ambrosiano teste Studemundio uersus in UFESTOMODO exit. In codicibus *manufesto* (uel *manifesto*) *tenere* exaratum habes Cas. II, 3, 19. II, 8, 71 (hi duo uersus in A non supersunt). V, 3, 4. Most. III, 1, 149. Merc. IV, 3, 32 (in A non seruatur). Pseud. II, 4, 57 (in A non seruatur). IV, 7, 61. Trin. IV, 2, 66; *manufesto opprimere:* Asin. V, 2, 26. Bacch. IV, 8, 17. IV, 8, 26. Men. IV, 1, 4 (non solum in Palatinis, sed etiam in A: -*o*). Most. II, 2, 79; *manufesto prehendere:* Asin. III, 2, 23. Pseud. V, 1, 15. Bacch. IV, 4, 45 (=696: non solum in Palatinis, sed etiam in A: -*o*). Truc. I, 2, 30: *Manufésto méndaci, malá, téneó te.* Ast: *Quíd iam, amábo?* quamquam Palatinorum lectionem (*Manifesta*) non minus facile ad *manifestam* quam ad *manifesto* referri posse non nego, tamen in codice Ambrosiano MANIFESTO (non MANIFESTI, ut Geppertus contendit) extare denuo inspecto codice auctor est Stu-

demundius. Itaque cum in codicibus constanter legatur *manufesto tenere*, *opprimere*, *prehendere*, uno loco (Truc. I, 2, 30) res in dubio sit, ita tamen ut per genetiuum addatur, in quo flagitio quis teneatur, non temere Bergkius (ind. l. Hal. hib. 1862 p. x) et Spengelius (Philol. XXIII p. 560) etiam in uersu Men. IV, 2, 29 (594), cuius hae in A reliquiae leguntur: NECMAGISMANIFESTUMEGOKOMINEMUMQUAMILLUM, *manufesto* pro *manufestum* uidentur restituisse.

Sed ut ad Amphitruonis fragmentum XV redeamus, Vssingius (in adn. ad u. 1045 editionis suae) hanc instituit rationem, ut ad utram uocem pertineret illud *flagiti*, ad *manufestum* an ad *tenere*, primum quaereret. Atque ex *tenere* genetiuum *flagiti* pendere posse negat, quod ut *prehendere*, sic *tenere* cum tali genetiuo apud antiquiores iungi non uideatur. Sed iurisconsultorum testimonia, in quorum libris sescenties *tenere* cum genetiuo construitur, in hac re certo non minoris momenti sunt, quam Sallustii et Taciti, quorum exemplis Vssingius ad structuram illam *manufestum flagiti* probandam nititur. Ad Plauti uero usum illud *tenere* uel *prehendere* c. gen. pertinere uix minus ueri simile est quam *manufestus* c. gen. Nam non solum Bacch. 696 codicibus omnibus exhibetur: *quem mendaci prehendit manufesto modo* (*modo* uertendum est per 'soeben'), ut *mendaci* non possit non referri ad *prehendit*, sed etiam Bacch. IV, 9, 26, quem uersum teste Studemundio A sic exaratum habet: DOLISEGOPRENSUSSUMILLEMENDICANSPAENEINUENTUSINTERIIT sine dubio pro *dolis* restituendum est *doli*, ut sententia haec sit: 'Vt ego, cum dolum persequerer, deprehensus sum, ita ille (sc. Vlixes, cuius cum factis Chrysalus sua per iocum comparat) mendicans paene interiit.' Huc accedit, quod dubium est, utrum audiendi sint Palatini in uersu Truc. I, 2, 30: *Manufesta⟨m⟩ mendaci, mala, teneo te* an potius Ambrosianus: *Manufesto mendaci, mala, teneo te*, ut *tenere* cum genetiuo *mendaci* construatur. Quae cum ita sint, *prehendere* et *tenere* a Plauto cum genetiuo construi si non meliore, at certe eodem iure conici potest, quo eiusmodi genetiuos ad adiectiuum *manufestum* referendos esse Vssingius contendit.

At fortasse haec omnia missa facienda censeas. Nam in illo uersu tot uerbis interpositis genetiuus *flagiti* a uoce *manufestum* dirimitur, uix ut apte inter se coniungi posse uideantur. Possis sane suspicari illi genetiuo *flagiti* nihil omnino esse neque cum *manufestum* neque cum *teneo*. Verba enim fragmenti accurate respondent iis, quae certo, ut infra uidebimus, statim illa excipiunt (fragmentum XVI): *'Immo ego húnc, Thebáni ciues, quí domi úxorém meám 'Inpudicitia ínpedíuit, téneo thénsaurúm stuprí*:

cf. fragm. XVI: *hunc teneo* *thensaurum stupri*
fragm. XV: *hunc teneo* *furem flagiti.*

Itaque ut in fragmento XVI *thensaurum stupri*, sic in fragmento XV dici *furem flagiti* (i. e. 'qui clam flagitium moliatur'; cf. explicationem Nonii: '*Furtum* — omne, quidquid occulte geritur, auctoritate ueterum dici potest'), conicere possis; quamquam prorsus simili exemplo ut locutionem *fur flagiti* munias, non continget.

Quae cum ita sint, fragmentum XV dubitanter sic scripserim:

Mánufesto húnc obtórto cóllo téneo fúrem flágití,

cum *manufesto obtorto collo tenere* similiter dictum uideatur atque *manufesto faucibus tenere* Cas. V, 3, 4: *Manufesto faucibus teneor*. Verba autem uidentur fuisse Iouis domo egredientis de Amphitryone dicta.

Fragmentum XVI.

Non. p. 331: '*Impedire* sordidare, ad probrum ducere. Plautus Amphitryone: *Immo ego hunc Thebani ciues qui domi uxorem meam impudicitia impediuit.*' Non. p. 456: '*Thesaurum* etiam copiam pessimae rei dici posse Plautus uoluit in Amphitryone: *Qui domi uxorem meam impudicitia impediuit teneo thesaurum stupri.*'

Quibus locis in unum contractis hi duo septenarii efficiuntur:

'Immo ego húnc, Thebáni ciues, quí domi úxorem meám
'Inpudícitia ínpedíuit, téneo thénsaurúm stuprí.

Apparet haec uerba continuo post fragmentum XV collocata et ab eo pronuntiata fuisse, de quo illud *Manufesto hunc sqq.* dictum erat, i. e. ab Amphitryone de Ioue superueniente ipsiusque collum rapiente ita quidem, ut Iuppiter Amphitryonem, Amphitryo Iouem obtorto collo teneret; cf. arg. acrost. u. 6: *atque inuicem Raptant pro moechis.*

Fragmentum XVII.

Non. p. 453: '*Ingredi* non solum ⟨intrare⟩, ut est manifesta eius uerbi significatio, sed et uenire ac se ostendere auctoritate Plauti possumus dicere; in Amphitryone: *Níhilne té pudét, sceléste, pópuli in cónspectum íngredí?*'

Possunt uariae condiciones fingi, quibus illa uerba (simillima his [Men. V, 1, 8]: *Non té pudét prodíre in cónspectúm meúm?*) prolata sint. Sed facillime Hoffmanno, quem Vssingius sequitur, crediderim id fragmentum ex eadem scaena depromptum esse, cui uindicanda sint uerba: *Manufesto hunc sqq.* et *Immo ego hunc sqq.* atque esse uerba Amphitryonis Iouem increpantis. Neque tamen uir ille doctus recte fecit, quod ea statim post uerba *Manufesto hunc sqq.* (fragm. XV) posuit, ut uerba *Immo ego hunc sqq.* (fragm. XVI) fragmentum *Nihilne te pudet sqq.* exciperent. Immo cum Vssingio faciendum est, qui hunc fragmentorum ordinem commendat:

Manufesto hunc sqq. (XV)
Immo ego hunc sqq. (XVI)
Nihilne te pudet sqq. (XVII).

Nam neque ullo modo uerba fragmenti XV a uerbis fragmenti XVI dirimi possunt, cum alterum altero statim excipi argumentum acrostichon docere uideatur, et in Plauti contextu uerba *Nihilne te pudet sqq.* locum habuisse post *Manufesto hunc sqq.* ipsa Nonii libri compositione probari supra (p. 11) demonstrauimus.

Fragmentum XVIII.

Ad eandem scaenam, cuius sunt fragmenta XV, XVI, XVII, nescio an uno uocabulo effectum fragmentum aliquod referen-

dum sit ab Hoffmanno et Vssingio illud quidem neglectum, sed certissime ad magnam illam, quae inter u. 1034 et 1035 hiat, lacunam pertinens. In glossario enim Plautino, quod uocatur, quo aduerbia ex singulis Plauti fabulis ab uetere grammatico anonymo excerpta continentur, inter ea aduerbia, quae ex Amphitruone afferuntur idque ordine accurate seruato, legitur *clandestino* aduerbium ita, ut sequatur aduerbium act. III scaenae II, excipiatur aduerbio scaenae V, 1: *nequiter* (u. 315), *efflictim* (u. 517), *tuatim* (u. 554), *somniculose* (u. 622), *simitu* (u. 631), *⟨ex⟩amussim* (u. 843), *susque deque* (u. 886), c l a n d e s t i n o (?), *perniciter* (u. 1116). Illud autem uocabulum (*clandestino*) in Amphitryonis oratione, qua uxorem suam c l a m exercuisse stuprum coram Ioue contendisse putandus est, locum habuisse facilis est coniectura.

Fragmentum XIX.

Fest. p. 169: '*Naualis scriba*, qui in naue apparebat, inter aliud genus scribarum minimae dignitatis habebatur, quod periculis quoque eius ministerium esset obiectum. Plautus: *Non ego te noui naualis scriba columbari impudens*. Siue quod columbaria in naue appellantur ea, quibus remi eminent, siue quod columbariorum quaestus temerarius incertusque.'

Pro *columbari* Muellerus scribit *columbar*[1]. Ex insipida explicatione, quae a Festo uerbis Plautinis additur, discerni nequit, utrum scribendum sit *columbar* an *columbari*, cum prior explicationis pars ad formam aliquam uocis *columbar*, altera ad formam uocis *columbarius* uideatur pertinere. Sed eiusmodi uerborum in *-ius* desinentium uocatiuos excepto uno *uolturi* (Capt. IV, 2, 64) nullos apud priscos scriptores inueni. Alioqui lectionem *columbari* praeferrem. Possunt autem uerba *columbar inpudens* ita intellegi, ut iocus ambiguus insit. Nam etiam genus uinculi, cui collum inseritur, uoce *columbar* significatur, quia

1) Cf. etiam Isidor. orig. XIX, 2, 3: '*Columbaria* in summis lateribus loca concaua, per quae eminent remi, dicta, ut credo, quod sint similia latibulis columbarum, in quibus nidificant.'

simile est foraminibus in peristerotrophiis, ubi columbae nidificant (cf. de Vit in lexico Latino); cf. Rud. III, 6, 50: *Nam in cólumbári cóllum*[1]) *hau múlto póst erít.* Itaque si quis remex *columbar* appellatur, simul et ad eius negotium remigandi alluditur et significatur, eum dignum esse, cuius collum in *columbar* inseratur. Quamuis enucleari non possit, quid in uersu:

Nón ego té noui, nauális scríba, cólumbar[2]) *ínpudéns?*

naualis scriba sibi uelit, hoc tamen constat, eo uersu aliquem compellari, cuius quaestus in re nauali positus sit. Id autem nonne cadit in Blepharonem, quem Iuppiter Amphitryonis uice functus ad prandium arcessi iussit, et ita cadit, ut, quamuis a Festo fabulae nomen non addatur, uerba illa aliquo iure in numerum fragmentorum Amphitruonis Plautinae recipere posse uideamur?

Verba, si iure lacunae Amphitruonis fabulae tribuuntur, per interrogationem proferuntur. Nam neque Amphitryo neque Iuppiter, quae rei condicio est, potest Blepharonem se nouisse negare; ille paulo ante cum Blepharone in naue fuerat, hic, si ignotum sibi illum esse diceret, eo se Amphitryonem non esse demonstraret. Enuntiatum igitur cum sit interrogatiuum, cum indignatione quadam profertur, id quod paulo commodius a Ioue fit, cum Amphitryo postea Blepharonem oret et roget, ut aduocatus sibi adsit neue abeat; cf. u. 1037: *Blépharo, quaéso,*

---

1) Non opus est uoce *eius* a Fleckeiseno post *collum* inserta (*Nam in colúmbarí collum ⟨eius⟩ hau múlto póst erít*; melius scribi potuit: *Nam in cólumbari ⟨éius⟩ cóllum hau múlto póst erít*) neque scriptione *collumbari* (cf. Geppert. ad Trin. p. 154), cum Plautus, ut Mil. IV, 7, 26: *Marís causa hércle istóc ego óculo utór minús: Nam si ábstinuíssem a m á r e, eo támquam hoc úterér* formam ablatiui *mare* sibi permisit, quo melius duplicis sensus uis appareret, ita adnominationis gratia id sibi indulsisse uideatur, ut *collumbari* pro *columbari* in uersu pronuntiaret. Ceterum ut uox aliqua *collumbar* de uoce *collum*, id quod Geppertus uult, deriuetur, uix potest fieri neque feliciter a uiro illo docto conici uidetur: *Nón ego té noui, nauális, c ó l l u m b á r i t r i b a ínpudéns?*

2) Vt caesura inter pedem quintum et sextum intercedat et uitiosus dactylus euitetur, pronuntiandum est *cólumbar*.

ut áduocátus mi ádsis néue abeás —. Sic autem rem animo fingo: Blepharo dixit se a Sosia uerbis Amphitryonis ad prandium arcessitum esse; quod uerum esse Iuppiter (postquam Sosia ab Amphitryone fugatus est) negat (cf. u. 952: *Is ádeo inpránsus* ⟨*hódie*⟩ *lúdificábitúr*) et Blepharonis mendacio se indignari simulans illis uerbis in eum inuehitur. Nam indignantis illud *non ego te noui?* esse intellegitur ex u. 518, quo idem Iuppiter Mercurium sic obiurgat: *Cárnuféx, non égo te nóui? ábin e cónspectu meó?*

Fragmentum XX.

Non. p. 285: '*Decernere* est dicere; Plautus in Amphitryone: *Qui nequeás, nostrórum utér sit 'Amphitryó, decérneré.*'

Verba aut Iouis aut Amphitryonis sunt ad Blepharonem conuersa; cf. arg. acrost. u. 8. Illi quam huic tribuere malim, quia Amphitryo in Blepharonis iudicio salutem suam positam esse usque ad eius abitum putare non desistit; cf. u. 1037.

(Reliqua propediem edentur apud Weidmannos Berolinenses).

Typis Breitkopfii & Haertelii Lipsiensium.